

Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.

Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

---

Peter Wasmund

**Programma In exequias funebres ... pueri Valentini Legdei ... Viri, Dn. Valentini  
Legdei, S.S. Theologiae Doctoris & Professoris ... filioli desideratissimi**

Rostochi[i]: Pedanus, 1631

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn771913486>

Druck    Freier  Zugang



**Wasmundt, P.**

**in**

**V. Legdeum.**

**Rostock, 1631.**





Universitäts  
Bibliothek  
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de  
/rosdok/ppn771913486/phys\\_0003](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn771913486/phys_0003)

DFG



Programma  
In exequias funebres  
*Optima spei & indolis pueri*

VALENTINI  
LEGDEI,

*Reverendi & Clarissimi Viri,  
Dn. VALENTINI LEGDEI,  
S.S. Theologiae Doctoris & Pro-  
fessoris publici atq; eximij, filioli  
desideratissimi.*

P. P.

à

RECTORE  
Academiæ Rostochiensis  
PETRO WASMUNDT  
U. D. & Professore.



ROSTOCHI  
*Typis JOACHIMI PEDANI Acad. Typ.*  
Anno M. DC. XXXI





R E C T O R  
Academie Rostochiensis  
P E T R U S W A S M U N D T  
J. U. D. & Professor.



Trox in omnes & inevitabile Mortis imperium Flaccus scite admodum hisce versiculis expressit:

Divesne prisco natus ab  
Inacho

Nil interest, an pauper & infima  
De gente sub dio moreris,  
Victima nil miserantis Orci.

Omnes eodem cogimur, omnium  
Versatur urna: serius, oxyus  
Sors exitura, & nos in eternam  
Exilium impositura cymbe.

Si quis vero roget, cur mors in omnes sine discrimine & quovis tempore ac loco grassetur,

A 2

non

non incommode de se usurpare posset, quod  
Romanorum olim legatis percontantibus, quo  
jure Clasum Hetruriæ urbem occupasset, Bren-  
nus Senonum regulus respondit, *Naturali*; quo  
impotens potentiori, imbecillis valentiori  
cedere jubeatur. Etsi enim nec à Deo in prima  
mundi origine condita est, nec in natura in-  
tegra habitura erat locum post transgressio-  
nem tamen & lapsum primorum parentum us-  
que adeo naturæ nostræ se insinuavit, & ho-  
minem sibi subjicit, ut à pluribus rebus alijs,  
quæ in mortalem cadunt naturam, exempti  
multi sint; ab illius imperio nullus. Longio-  
ris quidem vitæ, ob contemperationem hu-  
moris & caloris nativi bonam alij sunt alijs;  
nemo tamen, aut usquam gentium aut ullo  
unquam tempore repertus, qui ultra fatalem  
terminum ævi sui fines potuerit producere.  
Neque alia hic divitum alia pauperum; alia  
nobilium alia ignobilium; alia literatorum  
alia illiteratorum conditio: Sed in omnes æ-  
què ordines & ætates, in sexus & status omnes  
imperium *Mors* habet. Solet in vita & jure  
Civilis aliquid esse inter literatos & illiteratos  
discriminis, ut nimirum hi illis adsurgant, &  
honores deferant. Quin & *Constantinus* alij-  
que

que Imperatores ab omnibus muneribus civili-  
bus vacationem doctis concesserunt, eosq;  
plura alia; quæ hoc loco recenseri institutum  
non patitur, præ indoctis eximia habere jusse-  
runt: at in jure mortis *Naturali* æqua perito-  
rum & imperitorum sors est, nec dispar lite-  
ratorum quam illiteratorum conditio. Ex-  
emplum hujus rei suppeditat nobis hodierna  
dies, quo exequiæ parantur VALENTI-  
NO LEGDEO optimæ spei & indolis pue-  
ro, Viri Reverendi & Clarissimi Dn. VA-  
LENTINI LEGDEI S. S. Theologiæ  
Doctoris & Professoris publici atq; eximij,  
amici & collegæ nostri honorandi; & CA-  
THARINÆ von BUHnen fœminæ piæ  
& honestæ conjugum lectissimorum filiolo:  
qui postquam Anno 1627. 22. Novem-  
bris circa horam duodecimam vitam hanc  
mortalem ingressus esset, 29. Augusti hu-  
jus anni circa horam septimam vesperti-  
nam eam reliquit, atq; & mundo & dilectissi-  
mis parentibus valedixit. Licet vero prout  
nunc sunt tempora calamitosa & tristia, ubi  
omnia passim bellis ardent, continuis miser-  
is ærumnis & periculis vita nostra est exposi-  
ta, gaudendum potius quam dolendum, quando

A 3 liberos.

liberos nostros, aliosque amicos, pro Dei optimi maximi voluntate ac nutu mori ac in patriam veram migrare & transferri videmus; Ea tamen est vis & affectus naturalis, ~~sicq[ue]~~ vocant, quo conglutinati & devincti sunt parentes & liberi; ut si quando humanitus quid hisce accidat, & insperatus casus hos obruat, illi eundem, sine vulnere cordis, sine lachrymis, sineque gravissimo dolore vix & ne vix quidem ferre & sustinere queant: Non aliter quam,

*Qualis populea mærens philomela sub umbra  
Amissos quaritur fætus, quos durus arator  
Observans nido implumes detraxit, at illa  
Flet noctem ramoq[ue] sedens miserabile car-  
men,*

*Integrat, ac mæstis latè loca quaestibus im-  
plet.*

Dubium igitur nullum est, pios parentes in dolore ingenti & luctu versari, ob suavissimi & dulcissimi filioli sui præmaturum obitum: Sed cum in clementissimi DEI voluntate sibi acquiescendum esse sciant, merito eidem laudem honorem & gloriam tribuent, quod sanctam filioli animam pretioso sanguine Christi redemptam, latè exceperit,

rir; & se spē certæ resurrectionis & vitæ æternæ, ubi corpora nostra rursus juncta animabus nostris & ab omni peccato & morte liberata, accipient vivum glorificata decus; mersa prius letho, mox vera insignia vitæ; ante Deum æternæ tempora lucis agent, consolabuntur.

Quia vero beatæ hujus animulæ exuviæ hodie hora duodecima terræ mandandæ sunt, rogamus & hortamur omnes jurisdictioni nostræ subjectos, Dominos Professores, Doctores, verbi divini ministros, magistros, & studiosam juventutem, ut ad deductionem hanc dicta hora in templo Jacobæo frequentes conveniant, benevolentiam ac condolentiam suam optimis parentibus faciant testatam, simulque Ecclesiam & ultramque Rempublicam tam litterariam quam civilem DEO pijs precibus

bus commendent, & quod sibi suis-  
que fieri vellent, id alijs quoque  
præstare ne graventur. P. P. Ro-  
stochij sub Sigillo Rectoratus i. Se-  
ptemb. Anno M. DC, XXXI.











Universitäts  
Bibliothek  
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de  
/rosdok/ppn771913486/phys\\_0016](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn771913486/phys_0016)

DFG

rit, & se spe certæ resurrectionis  
ternæ, ubi corpora nostra rursus  
mabus nostris & ab omni peccate  
liberata, accipient vivum glori-  
cus; mersa prius letho, mox vici  
vitæ; ante Deum æternæ temporæ  
consolabuntur.

Quia vero beatæ hujus  
exuviæ hodie hora duodecim  
mandandæ sunt, rogamus  
mur omnes jurisdictioni re-  
jectos, Dominos Professor-  
es, verbi divini ministri-  
stros, & studiosam juventutem  
ad deductionem hanc dicemus.  
templo Jacobæo frequen-  
tiant, benevolentiam ac  
tiam suam optimis parentibus  
testatam, simulque Ecclesiam  
tramque Rempublicam  
riam quam civilem DEC

